

tiones, pactiones, seu conventiones, circa præmissa ubicunque, et quomodocunque tactas, erant, statim restituimus, repolimus, ac plenarie reintegramus.

» § IV. Præsentes quoque litteras cum omnibus, et singulis in eis contentis, etiam ex eo, quod præfati, et quicunque alii etiam speciali mentione et expressione digni, et in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis nullatenus consenserint, nec ad ea vocati, citati, vel auditi, minusque causæ propter quas eadem præsentes emanarunt deductæ, verificatæ, seu alias sufficienter, aut etiam ullo modo justificatæ fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis quantumlibet magno, inexcogitato, et substantiali defectu, aut ex quovis alio capite a jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine resultante, aut ex quocunque alio colore, prætextu, causa et occasione notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci ullatenus posse, sed illas semper validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus et singulis ad quos spectat, et spectabit, quomodolibet in futurum inviolabiliter observari.

» § V. Sicque et non aliter in præmissis omnibus, et singulis per quoscunque iudices ordinarios, et delegatos, etiam Palatii Apostolici auditores, necnon sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, etiam de latere legatos, ac ejusdem Sedis nuntios, et quosvis alios quacunque auctoritate fulgentes, nunc et pro tempore existentes sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, declarandi, et interpretandi facultate, et auctoritate semper, et ubique judicari, et diffiniri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

» § VI. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis tam generalibus, quam specialibus, etiam in conciliis universalibus editis, et quatenus opus sit, nostra, et cancellariæ Apostolicæ regula de non tollendo jure quæsito, et constitutione fel. record. Pii Papæ IV, prædecessoris nostri de gratiis quacunque interesse cameræ Apostolicæ con-

cernentibus infra certum tunc expressum tempus in eadem camera præsentandis, et registrandis, ita ut præsentes nullo unquam tempore in eadem camera præsentari seu registrari necesse sit, legibus quoque imperialibus, et municipalibus, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate roboratis, statutis, usibus, et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque indultis, concessionibus, et litteris Apostolicis, quibuscunque locis, et personis etiam imperiali, regali, et alia quavis sive ecclesiastica, sive mundana dignitate fulgentibus, et alias quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requirentibus, etiam motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine similibus etiam consistorialiter sub quibuscunque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, illisque efficacioribus, et insolitis clausulis, et decreti etiam irritantibus, et alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries et iteratis vicibus confirmatis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis etiam si pro sufficienti illorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialibus, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio faciendæ, aut alia exquisita forma hæc servanda foret, tenore hujusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti essent, præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis, formamque in illis traditam pro servata habentes ad præmissorum effectum specialiter, et expresse derogamus ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscunque.

» § VII. Volumus autem earundem præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique locorum, et gentium in iudicio, et extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhibetur, si foren. exhibitæ, vel ostensæ.

» Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesimo novembris, millesimo sexcentesimo quadragésimo octavo, Pontificatus nostri anno quinto. »

155. *Reflexiones super hac Bulla relinquuntur lectori.* — Reflexiones super hac Bulla benevolo lectori relinquo; has enim quam-

vis cum fundamento hic apponere facile possemus, tamen suadentibus discretionis, ac prudentiæ regulis omittimus, quia ob temporis, et modernarum calamitatum circumstantias sine periculo id præstare in his partibus haud valemus.

156. *Proponitur, quam ardua, et quanti momenti, quantæque difficultatis sit summe practica quæstio, an et qualiter liceat principibus catholicis juvare infideles, et hæreticos, vel auxilium ipsorum invocare contra alios præsertim catholicos: ubi etiam adhortatio fit ad confessarios, theologos, et consiliarios principum catholicorum atque ad hos ipsos.* — Quæritur II. An, et qualiter possint principes catholici in bello, quod intenditur, aut actu jam geritur, sub certo fœdere auxilium promittere, vel præbere infidelibus, vel hæreticis: vel hos in auxilium vocare contra alios præsertim principes catholicos: vel cum illis fœdus, ut vocant, defensivum et offensivum inire de mutuo ferendo auxilium contra quoscunque? Hæc quæstio sicut summe practica quippe continuo occurrens, et una ex gravissimis, ac importantissimis, utpote a qua bonum totius Ecclesiæ, et reipublicæ catholicæ, quam plurimum dependet, esse cognoscitur; ita summe intricata ac controversia ideo præcipue invenitur inter doctores; quia plures certa cum incertis, vel controversis confundentes, ut bene distinguunt. Hinc ut in hac summi momenti materia clare, et secure, simulque solide procedamus, prius, quæ certa et extra controversiam sunt, præmittere, postea ad ea, quæ dubia aut incerta videntur, vel saltem controversa inveniuntur, respondere resolvimus, omnipotentem, ter optimum, ac misericordiosissimum Deum, per Jesum Christum crucifixum, invisibile verum Ecclesiæ catholicæ caput humillime invocantes, ut tam confessarios, theologos, et consiliarios principum catholicorum, quam hos ipsos illuminare et excitare, confortare et adjuvare dignetur, quatenus illi seposito omni respectu, vel timore humano, passione et affectu inordinato, contemptoque amore, ac interesse proprio, Deum solum, et bonum commune Ecclesiæ præ oculis habentes, saltem ea, quæ certa sunt, principibus sincerem et candide manifestent, suadeant, et consulant, ac tanquam gravissime obligatoria serio et constanter, denegata etiam in casu retinentiæ absolute inculcent: in his vero, quæ dubia aut controversa sunt,

probabiliora consulant, et suadeant, addita sufficiente informatione, quod ubi agitur de præjudicio tertii, aut boni communis, præcipue autem Ecclesiæ ac religionis, non liceat relicta probabiliori et tutiori, sequi opinionem minus probabilem, minusque tutam: e contra principes catholici, seposita passione et vindicta inordinatoque affectu, et cura regna et provincias suas dilatandi, se, suos, domumque suam exaltandi, consilia eorum fideliter exquirant, et quæ recte, justeque data, amplectantur, et exequantur, siquidem ex eo, quia vel illi, vel isti in aliquo horum defecerunt, proh dolor! contigit tot iniqua, pernicioza, et periculosa fœdera nonnulli principes catholici cum infidelibus, et hæreticis inierunt, gravissimo, et sanguineis lacrymis deplorando activo et passivo damno, cum per talia fœdera, vel occasione illorum directe vel indirecte factum sit, quod non tantum religionis, veræque Ecclesiæ exaltatio et ampliatio, infidelitatis et hæresum extirpatio fuerit impedita, sed integra etiam regna et provinciæ, episcopatus, et præposituræ, etc. a catholicis ad infideles, ac hæreticos, infidelitatemque et hæresin eorum jam transierint, indeque multæ milliones animarum Christi sanguine redemptarum perierint, et adhuc periturae sint. Quapropter certa ab incertis separando ad quæstionem.

157. *Circa quam quæstionem certum est I. Quod principes catholici infidelibus aut hæreticis in bello, non possint præbere auxilium, nec petere ab eis ad bellum patenter injustum.* — Resp. I. Circa quæstionem positam certa, et indubitata esse sequentia. Et quidem certum est I. Quod principes catholici infidelibus, et hæreticis præbere non possint auxilium, nec aliquod ab eis petere ad bellum, sive defensivum, sive offensivum patenter injustum, seu absque justa causa suscipiendum, aut susceptum, sive contra catholicos, sive acatholicos. Omnes. Ratio patet, quia malum cognitum, quale gravissimum ex pluribus capitibus utique est bellum injustum, nec perpetrare, nec ad illud cooperari licet, juxta unanimem theologorum, apud quos, sicut et apud canonistas tit. de Treuga et pace, amplius vide; quia evidenter certa ulterius probare hic vacat.

158. *Certum est II. Non posse catholicum opitulari infidelibus aut hæreticis in bello, quod pro dilatanda sua falsa, et restringenda nostra vera religione gerunt.* — II. Certum,

et indubitatum est apud omnes, quod principes catholici gravissime peccent, impie, et scelerate agant, si pecuniis, armis, militibus, annona, aut alio modo infidelibus, aut hæreticis vi fœderis succurrunt, promittunt, aut præbent auxilium ad bellum, quod pro statanda sua, et infirmanda, restringenda, vel extirpanda nostra vera religione gerunt, aut agere intendunt contra principes catholicos, præsertim in defensivo, et offensivo bello religionis. Ratio manifesta est, quia hæc in re nil aliud est, quam infidelitatem, et hæresin propugnare, et veram religionem oppugnare, quod ex parte catholicorum impium, ac sceleratum esse, nimis certum est. Et tales quidem adjuvantes ex duplici capite Bullæ Cœnæ ipso facto excommunicati existunt; imprimis quidem per § 1, quo excommunicantur omnes fautores, et defensores hæreticorum: Dein § 7, quo excommunicantur omnes, qui ad Saracenos, Turcas, et alios christianorum hostes et inimicos, vel hæreticos deferunt, seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum, ferri stannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, ligamina, canabin, funes, tam ex ipso canabe, quam alia quacunque materia, et ipsam materiam, aliaque hujusmodi, quibus christianos et catholicos impugnant; necnon illos, qui per se, vel alios de rebus statum christianæ reipublicæ concernentibus in christianorum perniciem et damnum, ipsos Turcas, et christianæ religionis inimicos, necnon hæreticos in damnum catholicæ religionis certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, vel favorem quomodo libet præstant.

159. *Nec potest illos juvare, vel fœdus cum illis inire sub conditionibus Ecclesiæ, vel religioni præjudiciosis, vel cum damno ejusdem.* — Resp. III. Certum est III. Non licere principi catholico promittere, aut præbere ali-quod auxilium infidelibus, aut hæreticis, etiam justum in substantia gerentibus bellum, vel inire cum ipsis fœdus et pactum contra alios, præsertim catholicos principes aut populos cum conditionibus Ecclesiæ, et catholicæ religioni præjudiciosis, aut si inde certo prævideatur grave damnum seu præjudicium eidem. Conclusio patebit ex sequenti, ubi dicetur, illicitum esse principi catholico etiam in justo suo bello tali modo invocare hæreticos pro auxilio; ergo multo magis illicitum erit illos juvare.

Accedit gravissima utriusque juris prohibitio, quia universaliter, et sub gravissimis pœnis, præsertim excommunicationis prohibetur, ne infidelibus, aut hæreticis præbeatur ullum quodecunque auxilium in damnum religionis Catholicæ, uti clare patet ex Bulla Cœnæ, § 7, num. præced. allegato, item c. *Quod olim*, 12, et c. *Ad liberandum*, 17, de *Judeis, et Saracenis*. Clem. 1, § Porro, de *Jurejur.* et l. 2, C. *Quæ res exportari non deb.* cum concordantiis.

Nec refert, quod in nonnullis allegatis juribus de solis infidelibus, non item de hæreticis fiat mentio. Nam contra est: tum quod etiam in aliquibus, præsertim vero in Bulla Cœnæ, contra quam nulla dari valet consuetudo, præscriptio, vel non acceptatio juxta dicta a num. 81, pariformiter de Infidelibus, et hæreticis disponatur: Tum quod eadem, vel major prohibitionis ratio militet de hæreticis, quam Infidelibus, cum illi hæretici longe perniciosiores, et periculosiores sint Ecclesiæ, quam Infideles, uti patet ex dictis a n. 142.

160. *Certum est ulterius, non licere principi catholico in bello etiam justo invocare Infideles, aut hæreticos pro auxilio cum conditionibus Ecclesiæ præjudiciosis, vel cum gravi damno ejusdem insecuturo.* — Resp. IV. Certum est IV. Non licere principibus Catholicis ad bellum, etsi alias ex parte sua justum, pro recuperandis, aut conservandis bonis temporalibus jure sibi debitis invocare in auxilium Infideles vel hæreticos, aut inire cum illis fœdus et pactum contra alios præsertim principes aut populos Catholicos cum conditionibus Ecclesiæ et religioni Catholicæ graviter præjudiciosis, aut si inde certo secuturum prævideatur grave damnum seu præjudicium memoratæ Ecclesiæ, ac religionis Catholicæ. Ratio est, quia Ecclesiæ, et religionis Catholicæ bonum commune, utpote spirituale, et a quo innumerarum pendet salus animarum, semper præferendum est bonis temporalibus, prout fatentur omnes per vulgaria juris. Hinc licet juxta infra n. 216, dicenda plures doctores velint, licitum esse principi Catholico, in bello ex parte sua justo etiam Infideles, et hæreticos invocare in auxilium, si id facere potest, atque faciat absque periculo scandali, et sine conditionibus iniquis, vel Ecclesiæ et religioni præjudiciosis, simulque sine omni gravi damno vel præjudicio inde futuro: Tamen præfati et omnes alii unanimiter

§ IV. DE TOLERANTIA HÆRETICORUM.

concedunt, nullatenus esse licitum, si inde certo secuturum prævideatur grave Ecclesiæ, aut religionis præjudicium, et multo minus, si præfatorum auxilium cum apertis conditionibus Ecclesiæ, et religioni graviter præjudiciosis petatur, aut præbeatur; cum bellum quantumvis alias justum et licitum, illico evadat injustum, si non nisi cum præjudiciosis Ecclesiæ, aut religionis conditionibus, aut gravi damno illius geritur, aut geri potest uti Castro Palao, de *Charitate*. Tr. 6, disp. 5, pun. 3, num. 18, et pun. 6, num. 10. Molina, Tr. 2, disp. 107, num. 6. Bonacina, tr. 2, disp. 2, de *Restitut. in particul.* q. ult. sect. 1, pun. ult. § 2, num. 6. Victor, de *Jure belli*. num. 33. Marchant. Tract. VI, tit. III, q. 1, dub. 4, per totum. Sporer, tract. V, in Decalogum. cap. II, sect. 2, n. 108, dicens, id esse omnino certum, Coninch., disp. 31, dub. 4, n. 72. Suarez, disp. 13, de *Charitat.* sect. 4, n. 4. Valens, 2, 2, disp. 3, q. 16, pun. 2. § *Octavo certum est*. Bruno Neusser, disp. 211, ad pariter certum asserens. Probatur conclusio ulterius per textus Scripturæ, rationes, et jura infra a n. 188, alleganda, quibus probatur, saltem tunc non esse licitum principi Catholico cum Infidelibus, aut hæreticis fœdus inire, eisque auxilium præbere, vel hoc petere ab illis, si adhibentur conditiones religioni præjudiciosæ, aut si grave Ecclesiæ, vel religionis damnum certe secuturum prævideatur.

161. *Exempla et doctrinæ practicæ.* — Et ex his præsertim duabus conclusionibus pro praxi inferitur. Certum esse, quod principes Catholici illicite, imo pessime agerent in sequentibus casibus, v. g. rex Galliæ, si in bello, quod etiam justissimum putaret contra Cæsarem, juvaret Turcas, aut Hollandos cum hac conditione et pacto, quidquid de regnis, et provinciis etiam Catholicis Imperatoris occupaverimus, inter nos dividamus, vel mihi hæc, vobis illa provincia Catholica a Cæsare occupanda maneat.

162. Vel si idem rex Galliæ in bello etsi juxta opinionem suam justo pro conservandis aut recuperandis civitatibus, provinciis, aut aliis bonis temporalibus jure sibi debitis, contra alium principem Catholicum v. g. Imperatorem, vel domum Austriacam invocaret in auxilium Infideles, aut hæreticos, v. g. Turcas cum hac conditione, si in hoc meo justo defensivo, vel offensivo bello, quod contra Imperatorem gero, aut gerere

intendo, tale auxilium mihi præstatis, et vos, nec pacem inibo, donec per a vel pacem iterum acquiratis transylvaniam, aut regnum Hungariæ; vel hæreticos Anglos v. g. cum hac conditione: Si juvatis me, cedam vobis meam novam Franciam.

163. Vel si rex Hispaniæ ad Hollandos diceret: Si me tali, vel tali modo stabilire juvatis in monarchia Hispaniæ, cedam vobis ducatum Brabantia, et comitatum Flandriæ: Vel si idem rex Hispaniæ ad regem Angliæ et Hollandos diceret: Si juvatis me contra Cæsarem in monarchia hispanica conservare, licitum sit Regiæ Majestati magnæ Britannia, et generalibus Statibus Hollandiæ, communi consilio et auxilio, quas poteritis in regno Neapoli, Sicilia, Sardinia, et Corsicæ terras, et urbes armis occupare, quidquid autem occupaveritis, vestrum manebit.

164. Vel si Cæsar diceret ad Anglos, et Hollandos: si juvatis me contra regem Gallia, licitum vobis sit, communi consilio et auxilio occupare Jure mihi hæreditatis debitum modo ab alio inique possessum regnum Sardinia, Sicilia, et Neapolis, quidquid autem occupaveritis, vestrum manebit.

165. Vel si Turcam pro auxilio vocaret dicens: Si juvas me contra regem Gallia, bellum mihi inique inferentem, cedam tibi iterum totam Transylvaniam, vel inferiorem Hungariam.

166. Ratio universalis horum omnium jam assignata est, quia videlicet omnes hæc conditiones, et quælibet earum summe damnosæ et periculosæ sunt Ecclesiæ, et religioni catholicæ, consequenter sub aliqua earum princeps catholicus in bello cæteroquin justissimo contra alium præsertim principem Catholicum Infideles, aut hæreticos pro auxilio vocare, aut illos juvare non potest. Cum juxta unanimum, et certam doctorum principem Catholicum etiam in bello ex parte sua justo, v. g. pro conservando, aut recuperando bono temporali, regno v. g. aut provincia jure sibi debita, assumpto, vel assumendo contra alium præsertim principem Catholicum Infideles, aut hæreticos pro auxilio vocare, aut eos juvare nequeat cum gravi præjudicio et damno Ecclesiæ, ac religionis, per dicta n. 159 et 160.

167. Ob eandem rationem pariter gravissime peccat princeps Catholicus, si etiam absque hujusmodi graviter præjudiciosa

Ecclesie conditione expressa Infideles, aut hæreticos invocat, vel juvat casu, quo prævidet, exinde ob alias circumstantias grave Ecclesie, aut religioni Catholice damnum aut præjudicium certo secuturum, quod ipse impedire nequit.

168. V. g. Si rex Gallie prudenter prævidet, si in bello hoc, hoc quidem justum ex parte mea contra Cæsarem æstimo, Turcas pro auxilio invoco, prohibere non possum, quin plurimæ per eos fiant ecclesiarum, monasteriorum ruinæ, rapinæ, et alia innumera sacrilegia; vel occupabit ille aliquas provincias Catholicas, easque conservabit.

169. Vel si idem prævidet, quod si consilio, vel auxilio directe, et indirecte Turcis contra Cæsarem aut Hollandis, vel Anglis contra regem Hispanie succurrat, Turca unam vel plures provincias Catholicas a Cæsare, vel Angli a rege Hispanie aliquas provincias, vel insulas Catholicas certo accupabunt, et retinebunt.

170. Vel si imperator videt, si Anglis, et Hollandis, vel aliis hæreticis, qui in bonis suis temporalibus injustam aggressionem a rege Gallie, pati, indeque justum bellum defensivum pro se habere videntur, petito auxilio succurrat, procul dubio unam, vel alteram provinciam, aut civitatem Catholicam ei eripient, et obtinebunt, sicque integra provincia a Catholicis ad hæreticos devenient.

171. Secus foret, si imperator aut alius princeps Catholicus hæreticos contra alium Catholicum principem injuste illos aggredientem præcise jvaret ad hoc, ut ab injusta aggressionem defensi, in suis per publicam, et validam pacem sibi acquisitis, ac stabilitis bonis et locis manuteneantur, non vero ut nova a Catholicis cum religionis damno acquirant.

172. *Proponitur et resolvitur objectio.* — Nec quidquam valet, neque pro excusatione principum Catholicorum jvat, quod objiciunt Politici dicendo: Necessitas non habet legem, arg. 1. *Ubi adsunt.* 19, ff. *de Tutor. et Curat.* l. 7 et 8, ad S. C. Trebell. cum concordantiis. Et quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum, c. *Quod non.* *de Reg. jur.* Atqui sæpe dantur casus, ubi princeps aliquis Catholicus vere necessitatur, ut Infideles et hæreticos cum conditionibus Ecclesie graviter præjudiciosis, ut cum certe futuro Ecclesie et religionis gravi damno, pro auxilio invocet, eo quod Infideles aut

hæretici sine conditionibus, aut circumstantiis hujusmodi auxilium præbere recusent; sine illorum autem auxilio contra alium principem Catholicum prævalere, eumque ut injuste ablata temporalia restituat, vel ab injusta aggressionem aut præensione desistat, adigere nequeat: consequenter etsi alias cum conditionibus Ecclesie aut religioni graviter præjudiciosis, aut manifesto cum periculo gravis præjudicii Ecclesie secuturi, Infideles, aut hæreticos contra principem Catholicum invocare non liceat, tamen urgente præfata ac simili necessitate id licitum erit. Resp. Enim, allegatam, et similes necessitates non esse absolutas, sed morales duntaxat, in morali autem necessitate præfatas juris regulas, videlicet, quod necessitas non habeat legem, et ea, quæ alias sunt illicita, faciat licita, universaliter non procedere, et quidem in specie locum non habere, ubi transgressio legis vergit in detrimentum, seu grave præjudicium Ecclesie, aut religionis Christianæ, ut habet unanimis DD. signanter Suarez, *de Censuris.* Disp. 6. Layman, lib. I, tr. IV, cap. xiv, num. 6. Palao ubi supra, Sotus, lib. I, *de Justit.* q. 6, a. 4. Coninck, p. 3, t. II, disp. 13, dub. 22. Medina, t. II, q. 96, a. 4, § Sequitur gravissimum dubium, cum quibus ad propositum in specie etiam sentiunt citati supra n. 160 et alii dicentes, in tali casu jure naturali et divino obligari quemvis, ut bonum commune religionis, fidei, et Ecclesie cuius bono temporali præponat, consequenter ad hoc conservandum, vel obtinendum, in grave præjudicium illius nihil attentet.

173. *Alia objectio ponitur.* — Dices, ex hoc sequeretur, quod principes Catholicis essent deterrimæ conditionis, utpote, qui nec ea, quæ juste possident, secure retinere, nec injuste sibi ablata recuperare possent, cum potentiores alii principes Catholicos illos rebus et locis pro libitu privare possent, et instigante ambitione, amore, et interesse proprio, passione, aut injusta vindicta non raro privarent hoc ipso, quod scirent, adversarium vires ad resistendum sufficientes non habere, alios vero sine conditionibus præjudiciosis Ecclesie auxilio non præbere, aut alias sine gravi Ecclesie damno auxilium illorum invocari non posse; atqui sequela hæc videtur nimis difficilis principibus Catholicis, imo manifeste absurda, ergo.

174. *Et solvitur.* — Ad hanc objectionem

respondetur, ordinarie loquendo, de nullo principe Catholico quantumvis potente supponi debere, quod alium principem Catholicum sine justa causa belli aggredi, vel eum locis, provinciis, aut aliis rebus suis injuste privare velit, sed, si aggreditur, aut privare attentat, id facere ex causis, quas putat sufficientes ad hoc esse, et justas, non obstante, quod pars adversa id injuste, et cum sui injuria fieri putet, cum bellum ex utraque parte formaliter justum esse, et quivis coram Deo ac conscientia sincere putare, et judicare valeat, se habere justam causam, et justitiam belli stare pro se, uti communiter tam theologi, quam canonistæ ad tit. *de Treuga et Pace* docent: In tali autem casu non ad Infideles, aut hæreticos cum iniquis, et Ecclesie summe præjudiciosis conditionibus, aut alias cum gravi damno eidem certe eventuro recurrendum est, sed ad alia licita, et convenientia media, quæ ordinarie non deficiunt.

175. *Quid facere oporteat principes Catholicos stantibus pro utraque parte apparentibus justis causis belli?* — Si quidem si stantibus pro utraque parte rationibus, causa dubia aut controversa existit, quolibet existimante, justitiam belli æque, vel magis pro se, quam alio stare, potest princeps Catholicus vel ad transactionem recurrere, vel compromittere in arbitros, præsertim vero Sedem Apostolicam, quæ in cunctis justa semper existens, et speciali assistentia Spiritus sancti gaudens, recte judicando jus suum cuique certo tribuet, prout in similibus casibus jam non sine ædificatione totius mundi experti sunt plures principes Catholicos. Quorum exemplum si nonnulli principes Catholicos secuti fuissent, vel adhuc sequerentur, nec tam copiosus Christianorum sanguis effusus, nec tot provinciarum, et populorum ruinæ secutæ fuissent, nec hæreses tantopere invaluissent, sed potius pridem jam extinctæ fuissent.

176. Vel si transactionis, et arbitrii media recusans potentior princeps Catholicus rem absolute præterdit, potest princeps debilior recurrere ad Sedem Apostolicam, et demonstrata justitia suæ causæ eam requirere, ut potentior vel ad saniora disponat, vel censuris, aliisque mediis competentibus adigat; vel potest in auxilium vocare alios principes Catholicos, vel tandem his deficientibus, aut insufficientibus, aut succurrere nolentibus, potest invocare et adhibere

auxilium hæreticorum, aut infidelium, si hi sine præjudiciosis Ecclesie conditionibus juvare velint, et alias exinde nullum periculum Ecclesie, aut religioni sequatur, juxta dicenda infra n. 209.

177. *Et quid? si licitis destituantur auxiliis.* — Si nullam ex allegatis, nec alium medium quam Infidelium, aut hæreticorum auxilium non nisi cum præjudiciosis Ecclesie, et religionis conditionibus, aut alias magno cum damno Ecclesie præstandum, pro retinenda, aut recuperanda re, aut jure suo temporarii superesse videatur, debet necessario rem Deo commendare, et jacturam rerum temporalium, etiam integrorum provinciarum potius sustinere, quam eas gravi cum præjudicio et damno Ecclesie Catholice recuperare, aut conservare ob rationes supra dictas.

178. *Princeps quivis apertam habens justam causam belli pro se, ordinarie habere potest licita auxilia ab aliis.* — Idem facere, vel unum ex allegatis licitis mediis assumere, vel his, et aliis licitis deficientibus rem Deo commendare, et reservato sibi jure quocunque jacturam temporalem pati potius debet debilior princeps Catholicus, etiam casu, quo justitia causæ aperte pro ipso staret, et potentior injustus aggressor, vel occupator manifeste appareret: ob easdem rationes et jura a n. 183, allegata, et alleganda infra a n. 188.

Nec doctrina hæc nimis gravis, ac difficilis dicatur principibus Catholicis; tum quia rarissime, et non nisi extraordinarie contingit, quod omne auxilium justum debiliori deficiat; præsertim, si justitia causæ aperte, et manifeste pro ipso stat, cum in tali casu fere quivis contra apertum aggressorem, aut usurpatorem juste indignans pro conservando jure naturæ, ac gentium, et ut in simili casu ipse quoque auxilium sperare valeat, modo licito auxilium præbere paratus sit, supremo universi Rectore, ac Governatore corda ad id movente, suumque auxilium præbente, ut ad evitanda scandala, publicæ et apertæ magnorum principum injustitiæ coerceantur, et castigentur, ac illi, qui aliena invadere, rapere, aut usurpare aperta injustitia nituntur, sua perdant; ordinarie enim propter injustitias transferuntur regna.

179. *Si in casu extraordinario licitis mediis et auxiliis ad bellum aperte justum pro se destituitur, nequit recurrere ad auxilium Ecclesie*